

EPI T A P H I A

# GENERO SI ADO-

LESCENTIS, D. CHRISTOPHORI

MECZINII à KVROZVVEKI HÆREDIS IN

KLVVOVV, &c. Poloni, partim à quibusdam cla-

rissimis viris partim ab aliis eius

amicis scripta.

Cum præfatione ADAMI THOBOLIL.

A D

Generosum & magnificum Dominum, D. ANDREAM

MECZINIVM à KVROZVVEKI, Castellatum

Velunensem, Senatorem regni Poloniae

prudentiss: & Brzezniiciensem

Capitaneum, &c.



ARGENTORATI,

Excudebat Antonius Bertramus, Anno

M. D. XC.

Mg

Chr. Melzinski

R 103871

## INDEX EPISTOLARVM.

- I. Praefatio Adami Thobolij, ad Generosum & Magn. D. Dc Andr. Meczinski, Castellani VVclunensem.
- II. Epistola ad Adamum Thobolium, D. Melchioris Iuny Rectoris Academiae Argentin.
- III. Epistola Clariss: viri D. Dionysij Gothesfedi I. C. ad eundem Thobolium.

## IN ROSAE INSIGNIA.

Hendecasyllabi, Domini Petri Broderodij, Iuris Vtriusq; Doctoris.

## EPITAPHIORVM.

- I. Henrici Stephani, tria Epitaphia, quibus prefixa est Epistola ad Thobolium.
- II. M. Philippi Glaseri, Decani & Professoris Argent. Academiae.
- III. M. Iosephi Langij, tertia Decuria Preceptoris.
- IV. Amandi Polani à Polansdorff.
- V. Dn. Nicolai Latalij, &c.
- VI. Generoso-  
rum. { D. Abrahami Zhascij.  
VII. rum. { D. Christophori Drohoiouij.  
VIII. { D. Stanislai Latalij.
- IX. Christiani Brunonis.
- X. Iohannis Decij, Vngari.
- XI. Iohannis Turnouij Poloni.
- XII. Iohannis Rhormanni Transyluanii.
- XIII. Philippi VValdeckeri Eccloga.
- XIV. Andreæ VVoidauij Poloni.
- XV. Adami Thobolij.



*Nil profunt lacryme, memoris plus gratia vita,  
Qua tibi postremos hos concinnamus honores.*

Christianus Bruno Croppenstadensis Saxo

APOSTROPHE

QVA GENEROSVS ADOLESCENS

Dominus Christophorus Meczinski alloquitur  
fratres atque sorores.

*S*i generis splendor, si morum lumen honestum,  
Si flos etatis, si pietatis amor;  
Deniq; Pieridum si constans cura sororum  
Mouissent Parcas, numina dura, meas:  
Certe dignus eram celebrati Nestoris aeo,  
Dignus eram properos non subyisse rogos.  
Sed quia sic visum est Christo, sic fata tulere,  
Parendum est vita legibus atq; Deo.  
Ergo dilecti fratres, charaq; sorores,  
Cur marent obitu pectora vestra meo?  
Vixi, & quem dederat cursu natura, peregi,  
Virtutum studio vita peracta mea est.  
Sed ne plura meam vitam delicta manerent,  
Christophorum Christus duxit ad astra poli.  
Tempus erit cum me rediuiua carne decorum  
Luminibus veris aspicietis item.

Ioannes Decius Vngarus.

EPITAPHIVM

IN OBITVM GENEROSI IVVENIS

Domini Christophori Meczlinij à Kurozvveki, &c.

*P*rima cui casto gestare in pectore CHRISTVM.  
CHRISTOPHORO flagrans cura laborg fuit.

F

Altera

*Altera nobilibus mundo clare scere factis,  
Et celebres inter nomen habere viros.  
En dum MECZINIVS cupio lustrare Camœnas  
Quas souet Alsatico docta Minerua sinu:  
Me rapit ante diem violentia Mortis inique,  
Succidens geny germina pulchra mei.  
ARGYROPE mea busta tenet: tumulatur in alma.  
Spiritus, aeterna prospexitate, domo.*

Ioannes Turnouius Polonus F.

E P I C E D I O N

I N O B I T V M G E N E R O S I D . D .  
Christophori Meczinii, &c. Equitis Poloni.

*Inclita nobilitas & clarum nomen auorum,  
Si quid honoris habent:  
Si pietas, candor, si morum gratia, vita  
Caussa pereennis erat:  
Si Musæ rigidas possunt his flectere Parcas,  
Qui sua rura colunt:  
Ingenium si quid, si virtus, mentis acumen,  
Cura, laborg, valent:  
Si quid diuitia possunt, si munera, si quid  
Lecta metalla queunt:  
Deniq, formosum si nil sibi iuris in auum  
Spicula mortis habent:  
Cur tu MECZINI, vitale relinquere lumen  
Cogeris ante diem?  
O lux, ô patriæ decus, ô pulcherrima summi  
Patris imago tui:  
Dic, quæ te nostri capiant fastidia, quæ te  
Causa sub astra vocet;*

An quia pro curis perages ibi gaudia, próq;  
Funere Fænus ages?

An quia iam cernis quem degener Arrius olim  
Oderat ille Deum?

Et quam sint Christi quondam mansura Gigantes  
Tristia fata, vides?

Est ita: forma vale, valeant argentea claro  
Pondera lecta Tago.

Ingenium cedat, cedat quodcumq; beata  
Mentis acumen erat.

Nil mentem, corpusve magis, partásq; secunda  
Sorte moraris opes.

Ni velis ligna, Cereris iam frugere reperta  
Glande leuare famem:

Ni velis aetherea, cum iam spacieris, in arce  
Dona caduca sequi.

Hic te fluxus honos, illuc eterna per omne  
Gloria tempus habet:

Hic spatiū labens, illuc tot secula dempto  
Fine beatas agis.

Hic tibi perpetuis conferta laboribus, illuc  
Vita quietis adest.

Vita quietis adest, qua nil præstantius usquam  
Totus Olympus habet.

Hinc te MECZINI non lugeo, lugeo nostram  
Mæstus in orbe vicem.

Sed tempus tecum quondam cum forsan eadem  
Sede fruemur, erit.

Fallor? an hoc qui te dignatur munere, nobis  
Ille negabit opem?

Interea viuas Christo precor addite, cuius  
Nomen & omen habes.

*Paruus quæ serimus functo tibi munera, nostræ  
Pignus amoris habe.*

Gallus Rhormannus Transyl. F.

**ECLOGA FVNEBRIS,**

**IN OBITVM VERE PRAEMATV-**  
rum generosi ac doctissimi adolescentis, Domini Chri-  
stophori Meczinij Poloni, iu inlyta Argentinensium  
vrbe sepulti; à Philippo V Valdeckero Gothano  
in humilitatis piæq; recordationis testi-  
monium composita.

**INTERLOCVTORES,**

**MELIBOEVS ET MENALCAS.**

**MEL.** D'm petimus muros; ac est via longa Menalca.  
*Quid loquimur? citius salices iugamus ut istas?*  
*Fare a quid, nobis & tadia temporis affer.*

**MEN.** O vicine, mones: quæ non sine fletibus ausim  
Commemorare tibi: sunt quoq; acerba futura:  
Influxere meo nam grandia vulnera cordi:  
Si non audisti, repetamus in ordine summam.

**MEL.** Triste quid expecto: forsitan contagia dices  
Dira tui pecoris, vel pulchri funera tauri.  
Non certe leuis est talis tactura, sed udos  
Sapè oculos reddit: naufragia fecimus ipsi.

**MEN.** Prosequor haud illud lachrymis: licet accidit illud  
Nobis atq; gregem stravit durissima pestis.  
Quod queror, est aliquid grauius: nam spicula mortis  
Confosse hominem: prob quant' potentia n' ortus?  
Qua quoq; non teneros iuuenes lactare veretur:  
Iuuenes, anni quorum prodeisse viriles

Possent'.